



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Odo Abbas. 18. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

*pugnae, victores Christianos futuros.* Captus igitur velut seditiosus ROMANVS, & ex equuleo suspensus, cùm plumbatis cæderetur, ferreum se præbuit. Quin causæ optimæ fidens, ausus est ad teneræ ætatis testimonium provocare. Audiret vel ex hâc judex, Deumq[ue] unum an dæmonas tot colere præstaret? Et ecce evocatus BARVLA infans penè non minus fortiter quām facundè pro DEO & ROMANO dixit, dictaque sua flagris & ipse concisus sanguine firinavit. Sic enim verò peroranti filiolo acclamavit è turbâ mater fortissima, quin inter tormenta sitibundum objurgavit etiam, quod aquam rogaret, quando Superi sanguinem ipsius fitirent. Inde ad supplicii locum & dux & bajula filii caput abscissum & sanguinem, dulci urnâ, sinu exceptit. At ROMANVM ad ignes damnuatum patrocinante cælo imber absolvit. Quin linguâ orbatus innocentiam suam tamen prius loqui non desiit, quām strangulatis fauibus vox intercepta est. Sed & hujus Echo cum plausu cælo excepta. Ex Prud. & Chrysost.

*Quid illi grave videri poterit, qui semper menti tractat quām non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? quid concupiscere poterit in saeculo nequam, cuius oculus semper videt bona Domini in terra viventium?* S.Bern.serm.4.de Ascens.

S. ODO ABBA S. 18.Novembris.

**O**fficio suo fungi patres à patre ODONIS discant. Unicum & vix natum filiolum è cunis inter brachia in cælum sustulit, divoque Martino & sacrâ devotus. Dixisse assensum infantem, ita non tam lac maternum, quām erga Martinum amorem suxit, qui scilicet cum puero deinde crevit,

18. Nov. VITA SANCTORVM  
vit, dum litéris excultus inter Canonicos Turo-  
nenses est cooptatus. Sed cùm tunc etiam vanis  
poëtarum (& Virgilii præcipue) commentis plus  
quam piis commentaryibus vacaret, per som-  
num vas vidit cumprimis elegans, sed serpentis  
bus plenum. Monuit scilicet iterum cælum, quod  
ipse Maro, anguem ut juventus caveat in herbâ  
latentem, dum fraga legit. Noster deinceps pre-  
cibus ad D. Martini noctes invigilavit: quod sæpius  
euntem cùm ex itinere vulpes infestarent, mirum  
dictu suppetias contra has lupus tulit, idē deinde  
ODONIS hospes, ædiumque non ridiculus jam  
custos. Sub hæc dum Lutetiæ Parisiorum amplius  
literis operam navat, ab ipso Greg. Pont. noctu  
calamum dono accipere visus est, quo magni  
Doctoris Moralia, ut ajunt, sparsa omnibus libris  
in unum corpus colligeret. Jam monachus labo-  
ravit tam diu, quoad monachum etiam pater, ma-  
ter velum indueret inter virgines. Abbas Gignia-  
ensis, mox Cluniacensis miranda & fecit & pas-  
sus est, dum collapsam monasteriorum discipli-  
nam erexit. Ad extremum æger Romæ impetra-  
vit, ut redire in patriam siceret. Ibi denique vi-  
tam posuit ubi accepit, ad D. Martini tumulum.  
Ex Surio.

*Vis scire, homo, quid Deo debeas? quod factus es,  
Dei creditum est; quod es rationis capax, Dei fœnus  
est; quod discretionem mali bonive possides, accepisti;  
& quod vivendi normam acceperis, per chirographum  
legis stipulanti Deo spondisti. S.Pet.Chrys.94.*

S. PATROCLUS CONF. 19. Novembris.

**G**enus & origo PATROCLO humilis fuit, sed  
indoles n<sup>a</sup> generosa, quæ tum se prodidit,